a præterea unum hoc eſſe de decem nominibus Dei, & pariter LXX. *Dominum exercituum*, Aquilam, *Dominum militiarum* tranſtuliſſe. Rurſus *b* ſcribit, reddere LXX. παντοκράτορας, *Omnipotentem*: & ubicumque *Dominus virtutum* de Chriſto dicitur, omnipotentem eum debere intelligi, cui tradita omnis *poteſtas in cęlo, & in terra c*, dicitque *d*: *Omnia quæ Patris ſunt, mea ſunt*, ac proinde Deus ex Deo, Dominus ex Domino, lumen ex lumine, ex omnipotente omnipotens.

a Ep. 136. b in Zach. c. 2. & in c. 9. Ezech. c Matt. 28. 18. c. 2. 27. d Jo. 17. 10.

Idem nomen accinunt uni, ac trino Dei Angeli, ſicut audivit Iſaias *e*. Legendi Ambroſ. *f*, Gregorius *g*, Nazianzenus *h*, Epiphanius *i*, Severianus *k*, Origenes *l*, Auguſt. *m*, Alcuinus *n*, Florus *o*, Iſidorus *p* aliique vel in Iſaiam, vel in Tractatibus de Officiis, aut ritibus divinis, & Eccleſiaſticis, maximè Joannes Stephanus *q* Durantus. Tradunt verò Alcuinus, Severianus, Auguſtin. & Florus, *Dominus virtutum*, & *exercituum*, ac *militiarum* dici, quia omnis militia cęleſtis exercitus, omnes ſupernæ virtutes, atque Angelicæ poteſtates ejus imperio ſubjacent, ejus ſerviunt voluntati: Angelicos Spiritus rectè dici *militiam*, quia decertare eos contra poteſtates aereas non labore, ſed imperio novimus.

e c. 6. 5. f 3. de Spiritu S. c. 12. 2. de Fide, c. 4. l. 4. c. 1. g 29. Mor. c. 28. h Orat. 4. de Theologia. i Hæreſ. 26. K in Catena 1. & 5. con. Celſum. m de Conſen. Evang. c. 29. n Div. Offic. o in Expoſ. Miſſa. p 7. Orig. c. 1 q 2. de Ritib. c. 31. num. 31

Ambroſius *r* argumentans ex hoc vocabulo pro Deitate Chriſti, monenſque in quibuſdam codicibus legi hoc loco, quod *Dominus Sebaoth* ipſe ſit rex gloriæ, meminit, interpretes alicubi *Dominum virtutum*, alicubi, *Regem*, alicubi *Omnipotentem* interpretatos. Eadem de voce Sebaoth egimus Commentario ad Pſal. LXVII. *ſ* quem jamdudum edidimus. Fabulas Gnoſticorum, & Archonticorum, aliorumque Hæreticorum de Sebaoth prætermitto, de quibus Epiphanius *t*, nempe eſſe Judæorum Deum Patrem Diaboli.

Argumentatio Ambroſii ex hoc loco pro Deitate Chriſti. r 4. de Fide c. 1. ſ v. 12. Fabula Gnoſticorum & aliorum de Sebaoth. t Hæreſ. 40. & 26.

Ipſe eſt Rex gloriæ.) In emendatis Sixtianis Græcis: Αὐτός ἐστιν οὗτος. *Ipſe eſt iſte*, quo ferè etiam pacto Juſtinus *u*, αὐτὸς οὗτος. *Intravit Chriſtus in regnum ſuum paſſus multa priùs, & in gloriam ſuam x*. In Hebræo adjungitur סלה *ſelach* à Hieron. *ſemper*: Chaldaic. לעלמים *lebhalemim*, *in ſæcula*. Illud quum ſit in fine, ſequitur non habere ſemper vim nectendi poſteriora prioribus. Verùm hac de re dictum aliàs. Monet nos ea particula regem Meſſiam animo contemplari eumdem Deum & hominem, atque adeuntem regni cęleſtis poſſeſſionem cum triumpho poſt pugnam.

u in Tryph. x Luc. ult. 26

PSALMUS DECIMUS QUARTUS.

1 In finem, Pſalmus David.
2 AD te Domine levàvi animam meam: Deus
meus in te confido, non erubeſcam.
3 Neque irrideant me inimici mei: etenim univerſi, qui ſuſtinent te, non confundentur.
4 Confundantur omnes iniqua agentes ſupervacuè.
Vias tuas Domine demonſtra mihi: & ſemitas tuas edoce me.
5 Dirige me in veritate tua, & doce me: quia tu es Deus ſalvator meus, & te ſuſtinui tota die.
6 Reminiſcere miſerationum tuarum Domine, & miſericordiarum tuarum, quæ à ſeculo ſunt.
7 Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.
Secundùm miſericordiam tuam memento mei tu: propter bonitatem tuam Domine.
8 Dulcis & rectus Dominus: propter hoc legem dabit delinquentibus in via.
9 Dirigit manſuetos in judicio: docebit mites vias ſuas.
10 Univerſæ viæ Domini, miſericordia & veritas, requirentibus teſtamentum ejus & teſtimonia ejus:
11 Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo: multum eſt enim.
12 Quis eſt homo qui timet Dominum: legem ſtatuit ei in via, quam elegit:
13 Anima ejus in bonis demorabitur, & ſemen ejus hæreditabit terram.
14 Firmamentum eſt Dominus timentibus eum: & teſtamentum ipſius ut manifeſtetur illis.
15 Oculi mei ſemper ad Dominum: quoniam ipſe evellet de laqueo pedes meos.
16 Reſpice in me, & miſerere mei: quia unicus & pauper ſum ego.
17 Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt: de neceſſitatibus meis erue me.
18 Vide humilitatem meam, & laborem meum: & dimitte univerſa delicta mea.
19 Reſpice inimicos meos quoniam multiplicati ſunt, & odio iniquo oderunt me.
20 Cuſtodi animam meam, & erue me: non erubeſcam, quoniam ſperavi in te.
21 Innocentes, & recti adhæſerunt mihi: quia ſuſtinui te.
22 Libera Deus Iſrael, ex omnibus tribulationibus ſuis.

TITULUS.

Verſ. 1.) Pſalmus David.
Ad te Domine levavi animam meam.

TItulus nihil proprii habet, niſi quod Hebraicè Pſalmi nomen non exprimitur, neque Chald. Quin etiam teſtis Euſebius nihil fuiſſe inſcriptum; ſed à ceteris Interpretibus dictum dumtaxat τοῦ Δαβίδ. Apud Theodoretum: Εἰς τέλος ψαλμὸς τῷ Δαυίδ, & ita non pauci Latinis codices habent. *In finem Pſalmus David*. Quo item pacto legit Auguſtinus, & Latini alii.

Pſalmus hic ſine inſcriptione apud nonnullos.

ARGUMENTUM.

VErſantis porrò in maximo periculo, valdèque ab inimicis vexati, precatio eſt, utque condonet Deus peccata pro miſericordia ſua, & vias demonſtret, quas nec denegare ſoleat peccatoribus indicare, qui demiſsè ſe cum illo gerant, eumque timeant. Ad extremum orat etiam pro populo toto. Idcirco ſuſpicatur Lyranus in titulo neque Pſalmum additum, neque canticum, quod neutrum propriè ſit: ſed ſola precatio. Quia verò poſt peccata tribulationes acciderunt à filio Abſalone *y*; ad hoc tempus videri maxime poteſt hic Pſalmus ſpectare, non quando Saul eum perſequebatur. Volunt alii convenire populo afflictio in Babylone. Cuilibet certè quadrat calamitatem patienti pro peccatis. *Si inimici tibi imminent*, inquit Athanaſ. *z*, *tu tamen erige animum ad Dominum, & die vigeſimum quartum Pſalmum, & videbis inimicos fruſtra agere.*

Pſalmus hic ſola precatio. y 2. Reg. 14. & ſeqq. z ad Marcel.

Primus eſt hic Pſalmus ex alphabetariis, quorum verſus incipiunt à litteris juxta ordinem alphabeti Hebræi, tametſi tres deſint litteræ (ב) & (ו) & (ק) ſed verſus 18. & 19. initia ſunt à (ר) ultimi à (ף) primum ac ſecundum, ut hodie diſtinguunt Hebræi, inchoant ab א. Caſſiodorus ait deeſſe ſolùm ſextam (ו) & decimam nonam (ק). Idem affirmat Lyranus. Sed quum ſint viginti duo verſus, quod litteris alphabetum conſtat, geminari litteram (ר) & à littera (ף) principum denuo ſumi verſus ultimi præter decimum ſextum.

Primus Pſalmus ex Alphabetariis. Defectus literarum trium in eo.

Trevetus negat ſecundum verſum incipere ב, quod etiam Bredembachius contendit. Vatablus adſcribit litteram (ב) & (ו) fortaſſis ob iſtam cauſſam, quòd nempè ſit interruptus, neque continuatus alphabeti litterarũ ordo. Docuit Hier. *a* Pſalmos alphabetarios eſse 36. 110. 111. 118. 144. quamquam diverſo ſcribantur metro, quãvis alibi *b* prætermittat 36. & Hilar. *c* tradat de ſolis 111. 112. 118. Rationem Caſſiod. interrupti, ac imperfecti alphabeti aſſignat quòd qui continent integrum alphabetum, indicent juſtos perfecta meritorum devotione laudes Dei cantantes; alii, eos, quibus non adeò omnium bonorum operum arridet integritas. Tales poſteriores hujus generis eſse Pſalmos 33. 36. 144. Res ſatis incerta.

a Ep. 106. Pſalmi Alphabetarii. b Ep. 155. c in Pſ. 118. Interrupti hoc Pſalmo alphabeti ratio.

Hoc

Hoc eodem genere ſcribendi per verſus inchoatos ab alphabeti litteris, conſtant etiam Threni Jeremiæ, in quorum tertio capite unaquæque littera tribus verſibus initium dat: & caput trigeſimum primum libri Proverbiorum. Hoc habent Threni proprium, ut inter ſcribendum Latinè, recitandumque exprimantur litterarum nomina in Bibliis & in officio divino. Cujus rei rationem Petrus Figuerius quia non videt, vellet auctoritate Pontificia prohiberi. Conatur Michael Timotheus *a* aſſignare cauſſam ex ipſarum litterarum Hebræarum, quam in ſe earum nomina continent, ſignificatio. Eſt etiam verum ex dictarum ſingularum notione litterarum colligi poſſe cum Euſeb. *b* & Hieron. *c*, hanc veluti ſententiam; quòd lex divina eſt diſciplina (hinc litterę primæ inchoat notio) ſeu doctrina: domus: & plenitudo librorum, in ipſa vivit, vivens: bonorum principium in ipſa tu diſce: ex ipſis præceptis ſempiternum auxilium: fons, os, oculus juſtitię: vocatio capitis: medicamentum ſuper vulnus: ſignum. Lege Sixtum *d* Senenſem.

Threni quid habeant proprium circa litteras alphabetarias. a in Quæſt. 69. in Divinum officium, q. 76. & ſeqq. b 9. de Præp. Evang. c. 4. l. 10 c. 2. c Ep. 115. & In Thren. d 3. Bibliot. de elementaria expoſitione.

Ajunt ut Lamentationibus Jeremiæ litteras initiales verſuum denotare ignorantiam notiſſimarum rerum, qualis paſſio Chriſti, quæ cauſſa eſt captivitatis Judeorum & cujus tot extabant in eo beneficia. Idem poſſet ſecundùm analogiam affirmari de aliis; atque de ignorantia, quam iidem habent librorum ſacrorum, qui recenſentur viginti duo, quot ſunt in alphabeto litteræ.

Litteræ initiales verſuum quid denotent in Threnis. Mos Hebræorum creditus.

Videtur mos Hebræorum fuiſſe res notatu magis dignas, ſive lætæ eſſent, lugubres, ſive utiliores, memoriaque, quam ſeries juvat litterarum, digniores, hoc litterarum ordine ſcribere, atque decantare, & tamquã abecedariis, ſeu elementariis pueris tradere, ut indicat Rupertus *e*. Quo pacto & Paulus *f* aſſerit de Hebræis, quòd quum deberent *eſſe magiſtri propter tempus*, rurſum indigerent, ut docerentur, quæ eſſent *elementa exordii ſermonum Dei*. Vocat *elementa, litteras*, ςοιχεῖα, ſcilicet prima redimenta Evangelicæ doctrinæ, quæ Cathecumenis tradebatur, & non tantum, ut tamen exponit Chryſoſt. aliique Græci *g*, ea, quæ pertinerent ad Humanitatem Chriſti, quaſi tacita divinitate traderentur ea primùm rudioribus. Hieron. Præfatione Threnorum ſcribit, quo modo in noſtris litteris non poteſt quis ad legenda verba, texendaque procedere, niſi priùs ab elementis cœperit: ita in Scripturis div. nos non valere *e*, quæ majora ſunt, noſſe, niſi ab Ethica in ipſis habuerimus exordium, ſecundùm illud, quod Propheta dicit *h*: *A mandatis tuis intellexi*, quòd videlicet poſt opera cœperit habere ſcientiam ſecretorum. Anſelmus *i* docet quòd Pſalmi, qui litteris prænotantur, per Ethicam ducant nos ad Theologiam, & ab elementis occidentis litteræ quæ deſtruitur, tranſire faciant ad Spiritum vivificantem.

e l. 1. in Ier. c. 12. f Heb. 5. 12. Vocis elementa apud Paulum, expoſitio. g ibidem. Quomodo ad Scripturarum div. notitiam perveniatur. h Pſ. 118. 104. i In 2. Ep. ad Coloſſ.

Hector Pintus negat aliud in litteris ineſſe myſterium diſputans de Jeremiæ lamentationibus, & Bellarminus etiam de ceteris in Paraphraſi manuſcripta præſenti loci. Similis quædam ratio verſuum acroſtichorum, quos edidiſſe creduntur Sibyllæ, quales, quorum primæ litteræ ſimul efficiebant Ἰχθύς, quod *piſcem* ſignificat, & ſingulæ nomina illa. Ἰησοῦ Χριστὸς Θεοῦ Υἱὸς, Σωτήρ, *Jeſus Chriſtus Dei filius, Salvator*. Similis præterea, quem Sedulus hymnum compoſuit:

Acroſtichi verſus.

A ſolis ortus cardine, &c.
Beatus Auctor ſæculi; &c.
Caſtæ parentis viſcera, &c.

Similia quoque Græca quædam carmina Nazianzenus edidit, & Auguſt. Pſalmum contra partem Donati. Cavenda in his nimis anxia perveſtigatio, Et fieri poteſt ut quoddam genus carminis eſſet, quo delectarentur Hebræi, quodcumque tandem illius argumentum foret. Legi poſtea hac ipſa de re Delrium noſtrum in cap. 1. Threnorum. Thedulphus *k* Aurelianenſis Epiſcopus præcipit hunc quotidie Pſ. 31. vel 50. idque quanto ampliùs poſſumus facta confeſſione cum gemitu & lacrymas Domino in oratione.

k in Ep. c. 30.

Ad te Domine levavi animam meam.) Hieron. *levabo.* Chal. *Coram te Domine animam meam levabo in oratione.* Eſt quippe *Oratio*, finitore Damaſc. *l*, mentis ad Deum elevatio, ſive aſcenſus, aut eorum à Deo poſtulatio, quæ poſtulari convenit. *Elevatio* porrò eſt ex imo miſeriæ, erroris ignorantiæ peccati, amoris inferiorum rerum ab omni ſpe, quam hic inferiùs reperire quis poſſe viderentur. Denique *levare animam ad Deum* idem cenſetur, quod ſperare, & ad ejus expectationem veluti ſuſpenſum ſtare, ita ut ſynonymum ſit, (quemadmodum ſæpè contingit in Pſalmis) cum eo quod ſequitur, *Deus meus in te confido*: ſic verè *tollere animam alicujus*, eſt expectationem ſuſpenſam tenere *m*. *Quouſque animam noſtram tollis?* (αἴρεις) dicebant Chriſto Judæi, oſtendentes non modò ſe adhuc ſuſpenſo animo, ſed etiam valdè cupere ut ipſe ſit Chriſtus tamen adhuc non credere, quia nondum ſe clarè aperuiſſet Chriſtum eſſe. *Levare* ad terram quamdam, *animam*, dixit Jeremias *n*, quod explicant Lxx. per εὔχεσθαι ταῖς ψυχαῖς αὐτῶν, *optare animabus ſuis*. Quamvis Chald. declaretur per *ſeducendi* verbum; quaſi ſeducerentur, ac fallerentur. Poſtremò *levarem animam* poſſet denotare cum prece votum, ſive oblationem, animæ ejuſque tamquam depoſiti traditionem, quo pacto declarant Baſil. ac Theodoretus. Attamen benè cohæret cum fiducia in Deum, demiſſio, propter quam Publicanus verebatur oculos ad cœlum levare *o*, quum alioqui dejectionis, deſperationiſque animi, vultus abiectio in terram, index ſit; & contrarii affectus levatio capitis, oculorumque, ut aliàs dixi. *Sublevat ad iniquitatem alterius animam p*, qui iniquum, in ſua etiam iniquitatem perſiſtentem, benè ſperare jubet, & animos addit. Vel, accipiendo pronomen reciprocè, *ſublevat animam ſuam*, ideſt, cupit, & avidè expectat, quaſi lucrum inde ſperans, h. e. ex iniquitate.

Oratio, Elevatio, quid ſint. l 3. de Fide c. 23. Levare animam ad Deum quid. Tollere animam alicujus quid ſit. m Jo. 10. 24. n c. 12 27. o Luc. 18. 13. p Oſe. 4. 8.

Repetitur eadem phraſis in aliis Pſalmis, * *Beatus qui hoc poteſt dicere*, ait Gregor. *q*, *Beatus planè, quem iniquitas non onerat, non revocat delectatio, non inclinat voluptas, quem non gravat cupiditas, non deprimit opulentia, non trahit ambitio, ſicut ſcriptum eſt r: Beatus vir, cujus eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit.* Similis formula *levandi cor ad Deum ſ*, vel *oculos* ad eumdem *t*, aut ad cœlum *u*, aut *cum manibus ad Dominum in cœlos x*. Urbanus Papa III. hunc pro ſymbolo verſum *y* uſurpavit.

* Pſ. 85. 4. Pſ. 142. 8. q in Pſalmum ult. pœnit. r Pſ. 83. 6. ſ Jer. 51. 1. t Pſ. 120. 1. u Dan. 4. 31. x Thren. 3. 41 y Alphonſus, Ciaconus in vita.

Verſ. 2.) Deus meus in te confido, non erubeſcam.

PRius membrum videtur ſynonymum præcedentibus verbis, nec refert quod Hebraicè ſit tempus præteritum: vel namque interdum idem, ac prę́ſens. Quod attinet ad ſecundum *erubeſcam* eſt optativi modi, μὴ καταισχυνθείην, quam vim quoque habet particula Heb. אל *al*, præfixa verbo futuri licèt temporis כאושה *euoſchath*. Patet id quoque ex ſevuentis verſus verbo ſimilis formæ. *Neque irrideant.*

Quid autem ſit *non erubeſcere*, aut *non confundi*, quando quis aliquid ab alio petit, docui Pſalmo vigeſimo primo *z*. Spes in Deum non confundit *a*, nec erubeſcit qui ſperant in Deo *b*. Præfidens, ac præſumens de ſeipſo, fruſtatus falſuſque ſpe propria, rubore ſuffunditur, dum, exempli cauſſa, quod affert Auguſtinus, à minutiſſima quoque beſtiola mortem timet, facile ſternitur ab hoſte: pudet eum turpis vitæ, ex qua fructum nullum refert *c*: ſed quod eſt peccati proprium, ſtipendium *d* mortis.

z v. 6. a Rom. 5. 5. b Pſ. 24. 20. Pſ. 30 2. c Rom. 6. 21 d ibid. 23.

Rectè porrò conſentit non erubeſcere, cum confidentia, & levatione animæ ad Deum; quia ue proximè notatum eſt, præditus fiducia, erecto & exporrecto vultu eſt, hilaris, alacer: deſperans & pudibundus humi reſpectat prono capite, oculiſque. Ceterum Latino quoque ſermone *pudefieri*, aut *erubeſcere* dicitur quis, quando ſpe fruſtratur.

Erubuit nempe hac ceu faſtidita repulſa.
Mulier ſæviſſima tunc eſt,
Quum ſtimulos odio pudor admonet.

In codicibus Græcis Regiis Complutenſibus, & aliis, additur: τὸν αἰῶνα, *in æternum*: quæ Euthymius quoque legit, exponens tum præſens tum futurum ſæculum, aut numquam. In emendatis libris non eſt, nec in textu Hebræo, nec alii Patres Gręci legunt.

Verſ. 3.) Neque irrideant me inimici mei: etenim univerſi, qui ſuſtinent te, non confundentur.

TUnc inter alias cauſſas erubeſceret, ſi irrideretur ab inimicis, tamquam qui fruſtra ſperaviſſet in Deo. Hoc ait ſe non vereri, quoniam compertum habeat & alienis exemplis, & longi temporis experimento proprio, nullum confundi, vel excidere ſua ſpe, qui patienter expectet auxilium divinum. Quilibet intelligendi inimici, etiam ſpirituales. Athanaſius Dæmones accipit, qui prævisa nunc incarnatione, prædicatur non ampliùs, aut non adeò homines deluſuri; vel Babylonios, qui captivos tenerent Hebræos. Didymus de primis quoque intelligit: Hieron. & illos & alios, ut erga Chriſtum Judæos, eoſdemque, ac præterea Hæreticos adverſus Eccleſiam. Irriſio magnum procedentibus ut Domini via impedimentum, ut Actuum Apoſtolorum ſecundo capite *a* oſtendimus, ſi ędificare incipias, neque conſummes, illuderis *b*: deridebunt hoſtes tui Sabbata tua, & oratione *c*. Sanaballat & alii, reædificantes Judæos murum ſubſanabant *d*. B

a v. 7.
b *Luc.* 14. 29.
c *Thren.* 1. 7.
d 2. *Eſd.* 4. 1.

Neque irrideant me inimici mei.) Hieron. *Neque lætabuntur inimici mei mihi*, ſignificant אל יעלצו *al jahbaltſu*: Ne exultent, triumphent, glorientur. Non lætatur propriè Diabolus in ſe; dicitur gaudere per effectum quando decipit nos; gaudent namque revera deceptores homines, deceptis damnoq; affectis inimicis. *Qui tribulant me, exultabunt, ſi motus fuero* c: *Parentes, & cognati* Tobiæ, ipſaque uxor, *irridebant vitam ejus, dicentes: Ubi eſt ſpes tua?* manifeſtè vana facta ſpes tua *f*. Inſultarunt quoque reges Job *g*. *Illuſerunt tibi omnes viri fœderis tui* h.

e *Pſ.* 12. 5.
f *Tob.* 2. 15. 16. 22.
g *ibid.* 15.
h *Abdia* v. 7.

Calamitatibus i *hominum infortunatorum*

Numquam inſultavi, metuens, ne quid etiam patiar. Vocant Græci ἐπιχαιρεκακίαν, de qua Plut. *k*, nomenque comœdiæ uni Timocles fecit apud Athenæum *l* ἐπιχαιρέκακος ſcribit Demoſthenes *m* quòd φησὶν ἡ μαντεία, *ait oraculum*, ἀεὶ δεῖν, ὅπως ἂν μὴ ἐπιχαίρωσιν οἱ ἐχθροὶ ποιεῖν, *ſemper oportere ne gaudeant inimici facere*, ideſt, occaſionem iis non præbere: ſeu, ita nos gerere, ne meritò gaudere valeant: C

i *Eurip. in Andromache.*
k *opuſc. de utilit. ex inim. & opuſc. de Stoic. contrariet.*
l 1. 6.
m ora. περὶ παραπρεσβ.

Quid ſi verbo *irridendi*, ſeu *exultandi*, ac *triumphandi* alludatur ad triumphum, in quo principes hoſtium ducebantur onerati colla catenis, ante triumphantem? Tunc verò etiam, ut nuper dixi, jactabantur convitia in eumdem. Inde θρίαμβον dictum putant ἀπὸ τοῦ θροεῖν tumultuando accinere, & ἰαμβίζειν maledicere multis anapæſtis. Inter acerbiores minas illæ in Habacuc *n*, & ipſe (Nabuchodonoſor, myſticè Diabolus] *de regibus triumphabit, & tyranni ridiculi ejus erunt*, ideſt, irridebit conſilia, potentiam, bellicum apparatum, dicteriis, ac ſcommatibus inſectando, eò quòd ad reſiſtendum viribus erunt omnino impares.

n c. 1. 10.

Etenim univerſi qui ſuſtinent te, non confundentur.] Hieron. *etiam univerſi qui ſperant in te, non erubeſcent*. Auguſt. Pſalterium Romanum, & Ambroſ. Eccleſia in introitu Miſſæ, Dominicæ primæ Adventus: *qui te expectant*. Sæpe etenim καὶ γὲ idem eſt quod *etiam*, καὶ γὲ, quod propriè ſignificat hoc loco גם *gam*. Non D ego ſolus, ait, procul ero à fruſtratione ſpei, quia confido in te, ſeu, à confuſione; etiam quotquot ſpem in te collocant, id conſequentur. Eos qui non confundantur, exponit Apollinarius ἀψεγίας, *culpa carentes*, videlicet qui reprehendi non poſſunt, quaſi ſperaverint incaſſum.

Suſtinere in Scripturis quid ſit.

Suſtinere in Scripturis crebrò ſignificat expectare cum certa ſpe auxilia: & cum patientia, quam importat notio propria hujus verbi Latini, quemadmodum & ὑπομένειν utraque valet. Eſt autem קוה *kauah*; magno deſiderio in aliquem intendere, reſpicere, ex eo pendere: quod ſignificantiore vocabulo Paulus *o* dixit ἀποκαραδοκεῖν, *veluti intento capite contemplari, avidè anxièque intueri ac expectare*. Apud bonos Auctores Latinæ linguæ *ſuſtinere*, non quidem expectare, aut ſperare, ſed quod eſt affine, ſignificat differre atque ſuſpendere, reprimere actionem, aſſenſum; remve. Sic autem is qui ſperat, ſuſpendit, ac differt, donec adſit auxilium quod expectat.

Præter ea, quæ de re ipſa diſputata ſunt aliquoties A ſuprà, facit ad rem locus Iſaiæ: *o Qui crediderit, non feſtinet*, quem locum vertunt LXX. *non confundetur*, itaque Petrus legit. *p* Conſule noſtrum Commentarium, ubi docuimus, feſtinationem, curſumque convenire his, qui præ prudore quæruntur feſtinè ubi ſe abdant: & Hiſpanos dicere *Correrſe*, ut ſignificent, pudere, vel pudefieri.

o *Iſ.* 28. 16.
p 1. *Ep.* 2. 6.

Accommodatus item valde propoſito locus Eccleſiaſtici in capite ſecundo *q*: *Reſpicite filii nationes hominum: & ſcitote, quia nullus ſperavit in Domino, & confuſus eſt*, &c. Suſtinentes ſe triduo Chriſtus in deſerto, ſuſtentavit, nec jejunos confuſoſque abire permiſit *r*, quaſi diceret: *Recordatus ſum tui miſerans, quando ſecuta es me in deſerto* ſ. Hactenus expoſita verba mirum eſt quàm crebrò, & quàm libenter frequentet Eccleſia in officio divino, Miſſæ præſertim. Deprehendes, ſi advertes. Inde ducitur introitus Miſſæ Dominicæ primæ adventus, toties verò in aliis repetitur, ut numerare ſupervacaneum duxerim. Tanti refert animam continenter levare ad Deum, in eum confidere, ab inimicis non irrideri, illis, inquam, potiſſimùm, qui perdere B animam concupiſcunt.

q v. 11.
r *Mat.* 15. 32.
ſ *Jerem.* 2. 2.

Verſ. 4.) Confundantur omnes iniqua agentes ſupervacuè.
Vias tuas Domine demonſtra mihi: & ſemitas tuas edoce me.

REtorquet in hoſtes confuſionem, ut non queant irridere, atque de damno ipſius lætari, ſed cernentes quàm irrito conatu iniquè adverſus ipſum egerint, vel quia quod moliebantur malum inferre non potuerint, vel quia illato damno, non extorſerint impatientiam illi & diffidentiam, ac deſperationem de Deo, confundantur. Videor audire Jeremiam *t*: *Confundantur qui me perſequuntur, & non confundar ego: paveant illi, & non paveam ego*. Ut hoc meliùs obtineat, evadatque omnes irriſiones innimicorum, neque confundatur: hoc longè optimum implorat auxilium, ut legem Dei doceatur & ediſcat, ejuſque notitia voluntati perſuadeat C libenter illam obſervare.

t *Je.* 17. 18.

Confundantur omnes iniqua agentes ſupervacuè.) Hieron. *Erubeſcent qui iniqua egerunt fruſtra*. Chald. *Prædatores, aut contemptores, & vani* Auguſt. *Confundantur iniquè facientes vana*. Caſſiod. *Confundantur iniqui, facientes vana*. Hieron. *u* iterum, *iniquè agentes*. Pſalterium Romanum: *Confundantur iniqua facientes vanè*. Pſalterium Gallicum ſ. Ambroſ. *Confundantur iniqua gerentes ſupervacuè*.

u *Ep.* 135.

Exponit Auguſtinus de illis qui operantur iniquè ad acquirendum ea quæ tranſeunt. Origenes, qui in innocentes, ac immeritos exercent iniquitatem. Didymus: Qui vana colunt idola, juxta illud *x*. *Confundantur omnes qui adorant ſculptilia; & qui gloriantur in ſimulacris ſuis*. Euſebius, qui deſciſcunt à bono propoſito, & inanem naciſcuntur fructum, perinde ac ſi fruſtra defeciſſent à Deo. Caſſiodorus: qui operantur ea, quæ à Deo probantur aliena, & infructuoſa. D Baſilius, Theodoretus, Euthymius: qui non veluti quodam infortunio, vel ob naturæ infirmitatem, ſed præ ſumma malitia peccant, ſine cauſſa, & inaniter pugendo cum eo, qui nullam alteri injuriam inferat. Alii, ut Remigius, declarans, *ſupervacuè*, ideſt, inefficaciter, & Thomas, ac Hugo, quia non poſſunt habere intentum in perſequendo; de illis qui licèt iniquè tractent juſtos, non conſequentur finem ſibi propoſitum, ut de virtute dejiciant, perdant, & in gehennam perducant, quum è contrario ea vexatio valet illius ad exercitationem atque incrementum virtutis, & gloriæ meritum ſempiternæ. Ruffinus; Qui malè operando, nihil de fructu ſui laboris ſecum poſt mortem deferunt, ſed vacui bonorum operum meritis, coram judice, conſcii peccatorum, & gloriam Electorum conſpiciente, ac videntes quid perdiderint, confundentur. Bruno de quolibet peccatore, quem optet confundi, ac erubeſcere ad ſalutem. Omnes hi veri aptique ſenſus: melior ſeptimus, quem Chryſoſtomus *y* etiam ſequitur, differens de Patientia Job, quem Diabolus vexando toties nihil profecerit *z*, ſed humiliatus con-

x *Pſ.* 26. 7.
y *Hom.* 1. *de Patient. Job.*
z *Job* 1. & 2.

confuſuſque receſſerit, omnia vana exiſtimante viro A ſancto, ac pietatem non ſolvendo.

Omnes.) Monet Hieronym. *a*, Græcè non extare, *omnes*, additumque eſſe in ſeptuaginta ſub veru. Abeſt etiam ab Hebræo textu.

a *Ep.* 135.

Iniqua agentes.) Οἱ ἀνομοῦντες. Aliæ editiones habent οἱ ἀποστατοῦντες, qui præterea vocantur ἀθετοῦντες, qui deficiunt, apoſtatant, inita fœdera violant, deſerunt fidem, officium prævaricantur, fraudant, fallunt, perfidè agunt. Significat hæc omnia participium Hebræum בוגדים *boghedim*.

Supervacuè.) ריקם *rekam*: διακενῆς. Quid iſta valeant, ex dictis liquet, & ex Pſalmo quarto *b*: *Ut quid diligitis vanitatem*. Paraphraſtes Chaldæus per nomen expoſuit, jungens præcedenti בזוזין וסריקין *bezozin uſrikin*, *Contemptores*, vel *prædatores*, *& vani*.

b v. 3.

Vias tuas demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me.) Hieron. *Vias tuas oſtende mihi*. Pſalteria, Romanum & Ambroſianum, Ambroſius *c* ipſe, Auguſtinus, & alii. *Notas fac mihi*. Docui Pſalmo vigeſimo ſecundo *d*, quid *viæ* differant à *ſemitis*. Idem repetunt hoc loco de B præceptis familiaribus, aut difficilioribus, aut de communibus legibus, & conſiliis: illa facilè demonſtrari, hæc accuratiore doctrina egere: in illis ſtare, de his interrogari *e*: vias dirigi, ſemitas rectas fieri *f*: illas pulchras eſſe, has etiam pacificas *g*, quæ compeſcant perfectiùs paſſiones noſtras. Præterea *vias* dicunt eſſe, de quibus paullò poſt *h*, manifeſti adventus Chriſti per incarnationem, quæ eſt miſericordia; & per generale judicium, quæ eſt veritas: *ſemitas*, occulti adventus ad juſtificandum, & particularis judicii in morte cujuſque: Item *vias*, opera creationis; *ſemitas*, opus redemptionis, & incarnationis: quando factum eſt verbum abbreviatum *i*.

c 3. *de Fide* c. 4.
Viæ à ſemitis quomodo differant.
d v. 3.
e *Jer.* 6. 16.
f *Iſa.* 40. 3.
g *Prov.* 3. 17.
h v. 4. & *ſeq.*
i *Iſa.* 10. 22. *Rom.* 9. 28.

Satiùs eſt, *vias* ac *ſemitas* ad eamdem legem referre, qua tenditur ad vitam, & eſt anguſta, & recta propter difficultatem *k*: quamvis quæ dicuntur conſilia, cum perfectione majore, magis quoque difficilia ſint. Unde in Pſ. CXVIII. l *Deduc me in ſemitam mandatorum tuorum*. Prædixit Iſaias *m* de Meſſia: *Docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis ejus*. Ad omnes id ſpectat, ſi- C cut & dirigere *viam Domini*, *rectas facere ſemitas ejus* n. Poſſent *ſemitæ* certas illas omnis bonæ actionis conditiones, circumſtantiaſque neceſſarias denotare, vel ipſum virtutis uſum, exercitationemque, vel etiam exempla ab aliis impreſſa, & relicta.

k *Mat.* 7. 4.
l v. 35.
m c. 2. 3.
n *Iſa.* 40. 3.

Viæ ſemitæque dicuntur Dei præcepta ipſius, atque voluntates *o*, non ſolùm quia conducunt ad Deum, ſed etiam quia deducunt ad nos ipſum: *Si quis diligit me*, ait Chriſtus *p*, *ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus*. Intelligit ergo David ejuſmodi doctrinam, ſcientiamque, quæ non oſtendat tantùm veritatem, verùm etiam, ut loquitur Auguſtinus *q*, impertiat charitatem, ſimul donante Deo, & quid agamus ſcire, & quod ſcimus agere: quemadmodum de Theſſalonicenſibus ſcribebat Paulus *r*: *Ipſi vos à Deo didiciſtis, ut diligatis invicem, etenim facitis illud in omnes fratres in univerſa Macedonia*. Denique hoc eſt eſſe *docibilem Dei* ſ. Nam qui novis quid eſt quod fieri debeat, & non facit, docet idem Pater nondum à Deo didiciſſe ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm legem: non D ſecundùm Spiritum, ſed ſecundum litteram. Similis precatio in Pſalmo centeſimo quadrageſimo ſecundo *t*: *Notam fac mihi viam in qua ambulem; quia ad te levavi animam meam*: & in ſexageſimo ſexto *u*, *Deus miſereatur noſtri; & benedicat nobis. Illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri, ut cognoſcamus in terra viam tuam*.

o *Pſ.* 102. 7.
p *Joa.* 14. 23.
q 1. *de Gra. Chriſti*, c. 13
r 1. *Ep.* 4. 9.
Quid ſit eſſe *docibilem Dei*.
ſ *Iſa.* 54. 13.
t v. 8.
u v. 3.

Bernardus *x* obſervat animam curioſam Dei tria inquirere abſque ceſſatione; juſtitiam, judicium *y*, locum habitationis gloriæ ſponſi *z*, nimirum tamquam viam in qua ambulet; cautelam, qua ambulet; & ad quam ambulet manſionem; ut de forma juſtitiæ ſit formoſa: de judiciorum notitia cauta; de deſiderio præſentiæ, ſeu gloriæ ſponſi, caſta.

Bernardi obſervatio de anima Dei curioſa
x *Serm.* 58. *in Cant.*
y *Pſ.* 88. 15.
z *Pſ.* 2. 8. *Pſ.* 6. 4. *Cant.* 1. 7.

Hinc porro Cyprianus *a*, & Ambroſ. *b*, exque verbis ſequentibus: *Quia tu es Deus ſalvator meus*, colligere videntur neceſſitatem ducis Chriſti, qui ſe nobis quoque *viam faceret*, ſicut ipſemet ſe nominavit *c*, & à Salomone *d principium viarum Domini* appellatus eſt. Idem tradit in Catena citatus Chryſoſt. ſive in homilia ſuper A locum unum iſtius Pſalmi: quæ eſt in Tomo primo Operum ejus. Euthymius item concordat. Confirmat Ambroſius ſententia Zachariæ *e*, de Jeſu Sacerdote induto ſordida veſtimenta: *Si in viis meis ambulaveris, & præcepta mea cuſtodieris*.

a 2. *con. Jud.* c. 7.
b 3. *de Fide*, c. 4.
c *Joa.* 14. 6.
d *Prov.* 8. 22.
e c. 3. 1. & *ſeq.*

Eadem ratione probatur gratiæ neceſſitas, quoniam, ut ait Auguſt. hoc loco, jam per meipſum non novi, niſi mendacium, quia videl. quælibet notitia, etiam vera, & practica de virtute, per ſe non ſufficit ad ſalutem, nec ad eam perducit magis, quàm ſi merum eſſe mendacium. Dicamus ex animo ſemper Deo, ut videat ſi *via iniquitatis* in nobis ſit, & deducat nos in via recta *f*.

f *Pſ.* 138. *ult.*

Semitas.) Præter ea quæ dixi, addi poteſt, Hebr. vocem ארחות *orechoth*, itinera ſignificare: & ingreſſum ipſum in viam; ita ut *doceri ſemitas* ſit doceri rationem iter agendi. Verbum ארח *arach* ſignificat *iter facere* ire, deambulare. Uſum Julium Papam III. hoc verſu pro ſymbolo teſtis Alphonſus Ciaconus *g*.

g *in vita*.

Verſ. 5.) Dirige me in veritate tua, & doce me: quia tu es Deus ſalvator meus, & te ſuſtinui tota die.

INculcat eamdem quam priùs petitionem, addita ratione. Petit dirigi, ne è veritate legis divinæ exorbitet vel ad dexteram, vel ad ſiniſtram, quia ſolus poſſit Deus animi curare morbos, perfectamque reddere ſalutem, & quoniam non aliunde, quàm ab ipſo auxilium ſolatiumque expetierit, & expectaverit. Docui, argumentari nonnullos hinc adventum ejus, qui ſe *veritatem* cognominavit, ſicut & *viam h*: ad quem, quum quidquid in quavis ſit ſecta, pertineat, ſola per ſe tota vera cenſeri poteſt ſecta ipſius, & ab auctore Deo, ut de noſtris docuerunt Tertull. *i*, Arnobius *k*, Proſper *l*, Juſtinus *m*. Proſper autem ait, quòd veritas undecumque claruerit; non eſt ingenio humano deputanda, ſed Deo: nec aliquorum debet credi, ſed omnium: & per ſe tanta taliſque eſt, ut non ſit magna, ſi eam magni docuerint, ſed C potiùs ipſa magnos faciat eos, à quibus doceri, vel dici, diſcive potuerit. De Jeſu pariter locum iſtum Aponius *n*, qui vocatur Salvator.

h *Jean.* 14. 6.
i *Contra Praxeam*.
k 1. *cont. Gent.*
l 2. *de vita Contempla. in præfat.*
m *conc. Tryph*
n *l. 1. in Cant*

Extat in operibus Chryſoſtomi homilia integra ſuper iſto verſiculo; ſed Auctoris Latini, ut ſtylus quidem prodit. Ibi docet ille, nullam in iſta Eccleſiæ veritate falſitatem reperiri: doctrinam quæ hic poſtulatur, eſſe de perfectione virtutis.

Dirige me in veritate tua.) Hieron. *Deduc me in veritate tua*. Aponius *o*: *Dirige me in virtute tua*: explicat autem de veritate, quæ rectum facit, quia *Recti diligunt p*: Cyprian. *Deduc me ad veritatem tuam* H c ultimum Græca quoque ſonant, ὁδήγησόν με ἐπὶ τὴν ἀλήθειάν σου. Aponium neceſſe eſt uſum codice mendoſo: idem namque apud eum in variis editionibus h c mendom deprehendi. *Dirigere, deducere. ambulare facere*, quod cum Græco valet Hebræum הדריכני *hadricheni in veritate*, quæ propoſitio Hebraicè etiam extat ב *be*, idem eſt, quod per veritatem, ut in ea ambuletur, aut per illam tamquam per cauſſam dirigentem: ſicut alio Pſalmo dicitur D *q*: *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam: ipſa me deduxerunt, & adduxerunt*. Item *r*: *Deduc me in via tua, & egrediar in veritate tua*.

o *Supra*.
p *Cant.* 1. 3.
q 2. *con. Jud.* c. 7.
r *Pſ.* 42. 3.

Veritas hæc vel de ipſiuſmet Dei eſſentia eſt, quatenus licèt hic eam noſſe, poſtea clariùs: vel de uno credendo, & colendo Deo, quo pacto in ultimo teſtimonio ſubditur: *Lætetur cor meum ut timeat nomen tuum*: Vel ſignificat conſtantiam Dei in promiſſis, & ne ſpem ac fiduciam in eum ſuam fallat: vel ut re, factoque doceat ſe, quod mox ſubdit, ſalvatorem. Directio in bene eligendo, & exequendo conſiſtit. *Quid ſum ego mihi ſine te*, inquit Deo Auguſt. *ſ*, *niſi dux in præceps?* Multoties *t* implorat David hanc directionem: nam *Domini eſt dirigere greſſus* u. Sumpſit Gregorius Papa VIII. pro ſigno verba iſta; *Dirige me Domine in veritate tua*.

ſ *Pſ.* 85. 11.
t 4 *Confeſſ.* c. 1.
u *Pſ.* 5. 9. *Pſ.* 26. 11. *Pſ.* 89. 17. *Pſ.* 118. 5. 133
x *Prov.* 16. 9. c. 20. 24.

Quia tu es Deus Salvator meus.) Hieron. *Deus ſalutis meæ*. Pſalterium Romanum, & Ambroſ. & Auguſtin. aliique, *Salutaris meus*. Aponius, ut dixi, exponit Jeſum, idemque facit Euthymius declarans, ſecundùm anagogen, poſtulari à Davide notitiam incarnationis, unde

unde ſperabat ſalutem, quam conſecutus etiam ſit à Jeſu, quando deſcendit in infernum. Per *veritatem* quoque Didymus libro de Spiritu ſancto intelligit Dei filium. Hebræum nomen cum pronomine affixo eſt ישעי *iiſchhbi*, quod in Habacuc *a* reddidit interpres *Jeſum meum*. De hoc vocabulo diximus aliàs.

a c.3.18.

Et te ſuſtinui tota die.) Hieron. Fulgentiuſque *b*, *Te expectavi. Tota dies* vitæ tempus totum eſt. Chryſoſt. myſticè ſumit *diem*, ut nocti opponitur, pro Salvatore in quo princeps hujus mundi nihil invenit *c* juris ſui. Expeſtationem patientem *ſuſtinendi* verbum ſignificat, ne ullæ divellant firmiter in Deo fidentem animum tribulationes *d*. *Væ his, qui perdiderunt ſuſtinentiam, & qui dereliquerunt vias rectas, & diverterunt in vias pravas.* Græcè ſolùm eſt, οὐαὶ ὑμῖν τοῖς ἀπολωλεκόσι τὴν ὑπομονήν: *Væ vobis qui perdidiſtis patientiam.* Cetera interpres adjunxit, ut explicaret, illos perdere ſuſtinentiam, qui non perſeverant in fiducia erga Deum; ſed aliqua difficultate deterriti, aut voluptate illecti, virtutis cœptam deſerunt viam rectam, deflectuntque in pravam.

b 1. ad Thraſimum c.4.
Tota dies pro vitæ toto tempore.
c Joa.14.31.
d Eccl.2,16.

A August. *Et quia miſericordiæ tuæ à ſæculo ſunt.* Eodem pacto Pſalterium Ambroſ. ubi eſt, *memento*, pro, reminiſcere. Romanum verò, *miſericordiæ tuæ quæ à ſæculo ſunt.* Cauſalem dictionem habet idem textus Hebræus כי *chi*, & Græcus, ὅτι, & importat rationem, quòd nihil novi facturus Deus videatur impendendo miſericordiam, præterve conſuetudinem, quamquam particulæ tales non ſemper ætiologiam, quam præſeferunt, etiam efferunt. Quare ſenſus quoque poſſit eſſe, Reminiſcere miſerationum tuarum, & miſericordiarum tuarum; *quia*, i. e. quòd, ſeu hoc ipſum quòd à ſæculo ſunt: ſicut ibi *x*: *Recordatus eſt quia caro ſunt y*: *Recordatus eſt quoniam pulvis ſum*, hoc eſt, quòd caro ſum, quòd pulvis ſumus. Ceterum præpoſitio (*à*) poteſt non initium, ſed comparationem denotare, ut ſignificetur, miſericordias, & miſerationes eſſe præ ſæculo eaſdem ſemper ipſas מעולם המה *mehholam hemmah*, & antiquiores ſæculo, ac ante mundum. Sed præpoſito Græca ἀπὸ, non habet illam vim.

x Pſ.77.39.
y Pſ.102.14.

B

Verſ. 6.) Reminiſcere miſerationum tuarum Domine: & miſericordiarum tuarum, quæ à ſæculo ſunt.

TOlero quidem, & expecto, nec dimoveri me de firma erga te fiducia ſino: ſed quum probè intelligam tuæ mihi auxilium gratiæ quàm ſit neceſſarium ne labar, & præteritorum conſcius quum ſim peccatorum, miſerationes illas tuas, & miſericordias veteres imploro, quas & ipſe ſum ſæpenumero expertus, & adeo alii multi jam inde ab exordio mundi. Antiquitas hæc demonſtrat nativum ac proprium Deo eſſe, miſereri, ſicut eſt, inquit Didymus, luminis lucere, ſcientiæ ad cognitionem deducere, ut idcirco *miſericordiarum Pater* Deus appelletur *e*, & dicatur *in ſæculum* f *miſericordia ejus: & à progenie in progenies* g; *& in charitate perpetua* diligere, ac miſereri *h*.

e 2 Cor.1.3.
f Pſ 105.1. Pſ 116.1. Pſ.117.1.2.29.
g Luc.1.50.
h Pſ 88.50.

C Nihil jucundiùs Deo, quàm hujus attributi commemoratio, quo, ut ita dicam, delectatur magis quàm aliis. *Ubi ſunt miſericordiæ tuæ antiquæ Domine* i. *Miſericordia Domini ab æterno & uſque in æternum* k. *Confiteantur Domino miſericordiæ ejus* l, videlicet plus quam opera alia *m*, quia *miſerationes ejus ſuper omnia illa* n. *Numquid obliviſcetur miſereri Deus, aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas* o? Videtur oblivíſci, quando permittit calamitates, & tentationes. At proteſtatur dicenti ipſum oblitum eſſe, quamvis obliviſcatur mulier infantem, & filium uteri ſui, ſe tamen non obliturum, *ſed in manibus ſuis deſcripſiſſe* p: ſcilic. ut effigiem noſtram deſcriptam geſtare.

i Pſ 88.50.
k Pſ.102.17.
l Pſ.106.8.15.21.31.
m Pſ.144.10.
n ibid.v.9.
o Pſ.76.10.
p Iſa.49.15.16.

Miſerationum, & miſericordiarum.) Hebr. vocantur רחמים *rachamim*, & חסדים *chaſadim*, Chald. primum vocabulum eſt idem cum primo Hebr. ſecundum שכוחפ *touuathach* ſignificat *beneficia tua*. Nomen רחמם *rachamim* valet *viſcera*, quæ ſunt ſedes maximi amoris paterni, & materni, ut proinde liberi dicantur *parentum viſcera q*. De comparatione amoris divini cum materno jam dixi: De paterno eſt illud *r*: *Quomodo miſeretur pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe.* Viſcera Domini Joannis pater *ſ*, ac Paulus *t* agnoſcunt: qua de re diximus in Commentario primæ Apoſtoli Joannis epiſtolæ *u*.

q Ep. ad Philem. v 7.12.20.
r Pſ.102.13.
ſ Luc.1.78.
t Philip.1.8.
u c.3.17.

D

Altera vox Hebræa ipſam denotat pietatis miſericordiæque virtutem, ac veluti affectum, & ſubveniendi ac miſerandi pronum deſiderium, quamvis fortaſſis re ipſa non ſuccurramus, quia facultas deeſt. Sed quia Deo non deeſt, erit ipſa benefaciendi voluntas, quam ſuo tempore in opus deducat. Græcè τῶν οἰκτιρμῶν καὶ τὰ ἐλέη. Legimus ſub ejuſdem verbi μνήσθητι conſtructione, vel quia hoc verbum utrumque regit caſum, ut Euthymius notat, vel quia licentiùs pro caſu caſum ponebant Antiqui. Quod addit, eoſdem caſus diverſos interpretes inveniſſe in Hebraica lectione, prodit ſibi hanc ignotam linguam in ea namque idem caſus eſt iſtorum nominum רחמיך *rachamecha*, & חסדיך *chaſadecha*.

Quæ à ſæculo ſunt.) Hieron. *Quia a ſempiterno ſunt:*

Verſ. 7.) Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.
Secundùm miſericordiam tuam memento mei tu: propter bonitatem tuam Domine.

NOn eſt æquum, ut antiquis illis & æternis ac nativis miſericordiis tuis, juventutis, ac paucorum dierum vitæ meæ peccata mea præponderare videantur, licèt plurima ſint, æternoque ſupplicio digniſſima. Si, ut popoſci, reminiſceris miſerationum, & miſericordiarum, non recordaberis delictorum meorum, & *iniquitatum* etiam *antiquarum z*, quas à juventute commiſi, ſed citò anticipabunt me *miſericordiæ tuæ* a, & projicies *poſt tergum tuum omnia peccata mea* b. Dum memor eris mei qualem feceris, quantis beneficiis affeceris, obliviſceris peccatorum meorum, quia deſtruunt opera tua, & bonitati tuæ quodammodo finem imponunt, aditum intercludunt.

z Pſ.78.8.
a ibid.
b Iſaia 38.17

Delicta juventutis meæ.) Hieron. interpretatur peccata adoleſcentiæ: & in Iſaiam *c*: *Peccata juventutis meæ, & ignorantiæ meæ ne memineris Domine*: ita ut peccata intelligantur eſſe ignorantiæ tamquam cauſſæ. Ambroſius. *Delicta juventutis meæ & ignorantiæ ne memineris Domine.* Pſalterium Romanum: *Delicta juventutis & ignorantiæ ne memineris.* Auguſtinus *d* alibi: *Delicta juventutis & ignorantiæ meæ* hoc loco: *Delicta juventutis meæ & ignorantiæ meæ.*

c c.5.
d 1. De Peccat. mer. c.16

Negat Euſebius de ſeipſo Davidem loqui, ſed eorum inducere perſonam, qui priora delicta ſua confiteri dicerunt. Quoniam, inquit, non reperimus ipſum in juventute ſua, neque in puerili ætate peccaviſſe, nec quidquam per ignorantiam ab eo factum fuiſſe. Certè adulterium *e* videtur fuiſſe primum grave peccatum: quo tempore non quidem adoleſcens erat, ſed juvenis tamen dici poterat, niſi adoleſcentiam proferas uſque ad trigeſimum, vel etiam quadrageſimum annum, ex Varronis & Pythagoræ ſententia, ut aliàs dixi *f*. Illum Chryſoſtomus *g* ait hæc proferre verba poſſe, qui nunc facit, quæ ſenem decent: qui verò eadem etiam facit in ſenectute dedecora probraque, indignum eſſe vocabulo *ſenis*, & qui præſentem proferat ſententiam, & qui veniam peccatorum conſequatur, quæ admiſit in juventute. Subdit nonnulla de commodis ætatis ſenilis, deque venerabili propter ſeniles mores etiam juvenili ætate. Qua de re lege ſi voles, quæ diſputavimus ad caput quartum libri Sapientiæ *h*. Hieron. *i* idem perſtringit, ſcribens, juxta tropologiam nos *conſurgere de mane*, quando vitia reliquimus in pueritia & dicere poſſumus: *Peccata juventutis meæ, & ignorantiæ meæ ne memineris Domine.*

David in juventute & puerili ætate non reperitur peccaſſe.
e 2. Reg.11.
Ad litterã primum Davidis grave peccatum.
f Act.7.38.
g in Ep. ad Hebr. hom.7.
Adoleſcentia uſque ad trigeſimum vel quadrageſimũ annum prolata a Varrone & Pythagora.
h v 8.
i in c.5. Iſaiæ

Deſcribit Ambroſ. *k* juventutem invalidam viribus infirmam conſiliis, vitio calentem, faſtidioſam monitoribus, illecebroſam deliciis; Davidem totius temporis ejus veniam ſibi à Domino poſtulaviſſe, quia tunc maximè calor corporis fervet, & æſtu ſanguinis vaporantis igneſcit. Auguſtini *l* vera nimis ſententia; pauciſſimos eſſe tantæ felicitatis, ut ab ipſa ineunte adoleſcentia nulla damnabilia peccata committant, vel in flagitiis,

k 1. de interpella. c.7. in Pſ.38. De obitu Valentini.
l 21. de Civit. c.16.

gitiis, vel in facinoribus, vel in nefariæ cujuſquam impietatis errore, ſed magna ſpiritus largitate opprimant; quidquid eis poſſet carnali delectatione dominari: plurimos verò præcepto legis accepto, quum priùs victi fuerint prævalentibus vitiis, & prævaricatores ejus effecti, tunc ad gratiam confugere adjuvantem, qua fiant & amariùs pœnitendo & vehementiùs pugnado, priùs Deo ſubdita; atque ita carni præpoſita mente, victores. Refellit etiam eos *a*, qui peccatum proprium nolint pueris attribuere, niſi ab anni quarti decimi articulo, quum pubeſcere cœperint: id credi poſſe meritò, ſi nulla eſſent peccata, niſi quæ membris genitalibus admittuntur: furtis, mendaciis, perjuriis plenam eſſe puerilem ætatem Ipſa ſua in Confeſſionibus dum puer eſſet, confitetur peccata, vocans ſe tantillum puerum, ac tantum peccatorem, & quinquennis blaſphemias pueri deſcribit in dialogis Gregorius.

a 16. de Gen. ad lit. c.13.
Peccatum proprium qui nolint pueris attribuere.
Quinquennis pueri blaſphemiæ.

Rurſum Ambroſ. *b* magna docet hujus ætatis opus eſſe cuſtodia: quia Salomon *c* dixerit, inter ſibi cognitu impoſſibilia hoc maximè eſſe, quæ ſit *viri via in adoleſcentia ſua*: idcirco hic Davidem delictorum juventutis ſuæ non defenſionem obtuliſſe, ſed oblivionem rogaviſſe: & non immeritò Salomonem dixiſſe ſe non agnoſcere, quod pater ejus, in quo major gratia (nempe ſanctificans) fuit, ſe ignoraſſe teſtatus eſt.

b in Pſ. 38.
Puerilis ætatis magna debet eſſe cuſtodia.
c Prov. 30.19.

Præterea in funere Valentiani junioris Auguſti tractans locum Threnorum *d*: *Bonum eſt viro, cùm portaverit jugum grave*, (ſic enim legit) *in juventute ſua*, producens quoque recitatum ex Proverbiis teſtimonium ſimilem Auguſtinianæ profert ſententiam *Plurimi ſunt, qui ſe à peccatis, & lubrico juventutis in ſenectute revocare potuerunt: rarus autem, qui in juventute grave jugum ſeria ſobrietate portaverit.* Addit quod talis ſilebit, inter alias cauſſas, quia non habebit opus excuſatione peccati, quod maturiore confeſſione prævenit, & propera correctione depoſuit: nec dicentur ei *e*: *Quæ in juventute non congregaſti, quomodo invenies in ſenectute?* magnum eſſe vel abſtinere à vitiis juventutis, vel ea in ipſo juventutis veſtibulo derelinquere, atque ad ſaniora converti: lubricas enim, & perplexas vias eſſe juventutis: juvenem non ſolùm fragilitate lubricæ ætatis prolabi, verùm etiam ignorantia cœleſtium mandatorum plerumque delinquere: *citò meretur veniam, qui prætendit ignorantiam.* Prophetam noſtrum non dicere, Delicta ſenectutis meæ, & ſententiæ meæ, ne memineris: ſed quaſi qui citò correxerit, & emendaverit vitia juventutis, ætatem, ignorantiamque prætendiſſe. Videtur velle de ſeipſo, quod Euſebium negaviſſe dixi, Davidem: loqui: tamquam qui delicta in juventute contraxerit Quod verùm eſt, & propriè intelligi poteſt, etiam de ſolis delictis levibus. Magna Tobiæ *f* laus, quum eſſet junior omnibus, nihil tamen puerile geſſiſſe in opere Eadem laus aliorum nnullorum ſanctorum noſtrorum, ut Malachiæ, Bernardini, Baſilii, Evangeliſtæ filii Franciſcæ Romanæ, quam anno ſuperiore Paulus V. adſcripſit Catalogo ſanctarum: & recentiſſima memoria B. Ludovicæ Gonzagæ ex ordine noſtro.

d c 3. 27.
e Eccl.25.5.
Euſebii negatio.
Tobiæ laus: & aliorum ſanctorum virorum.
f Job. 1.4.

In genere, *delicta juventutis*, excluſo originali; de quo aliqui myſticè nimis, ac violentè, ſunt, quæ vel omittendo, vel etiam committendo contrahuntur ex æſtu, præcipitantia, inexperientia ætatis; ſuperbiam nominatim intelligit, & confidentem audaciam. Auguſtinus hoc loco, & Appollinarius, *ſuperbiam periculoſæ juventutis* ἀκμασθαλίων σφαλερᾶς ὕβρις: Athanaſius, idololatriam Hebræorum in Ægypto: Ambroſius *g*, fervorem carnis. [*Adoleſcientiari*, Varroni, luxuriari eſt, Nonio teſte,] *h* ſicut *peccata ignorantiæ* verborum prolapſionem, quæ non ex ſententia noſtra, ſed impetu quodam, & curſu loquendi plerumque funduntur. Hujus *i* adhuc ſalubre monitum diſputantis ſuper illa verba: *In quo* k *corrupit juvenior viam ſuam*, & afferentis eumdem ex lamentationibus locum de jugo. Præveniamus juventutis annos correctione congrua, ut magis dicamus ſinguli *l*: *Deus qui paſcit me à juventute mea*, quam recordationem habentes lapſuum, defleamus, dicentes: *Delicta juventutis*, &c. Hoc debilitatis eſt remedium; illud robur ſalutis. Salutis medicina vulneri quæritur, gratia ſanitati: adeoque ait *m*, *Bonum eſt viro, cum tollit jugum in juventute.* Ei autem, qui poſt decurſe juventutis annos jugum tulerit, non eſt ſtatim perfe-

Delicta juventutis quæ ſunt.
g in Pſ. 30.
Adoleſcentiari Varroni quid ſit.
Peccata ignorantiæ quæ ſint.
h c.2. n.25.
i Serm.2. in Pſ. 11.
k ibid. v.9.
l Gen.48.15.
m Thr.3.17

A ctum bonum. Stimulant enim eum peccata ſua, exagitat conſcientiam conſuetudo peccandi, & uſus erroris inſtabilem facit. Luctandum ex diu hujuſmodi viro, ut abolere faciat inveterata, atque diuturna. Huic in periculo res eſt, illi in bono. Denique ſedebit ille ſingulariter, quaſi is, qui facilè non inveniat æqualem, ſingularibus donatur præmiis, & ſilebit quietus, & feriatus ab omni interpellatione mundanæ ſollicitudinis, & voluptatis, & divinis vocabit oraculis, quæ ſolent ſingulariter ſedentibus revelari, ſicut S. David, qui ait *n*: *Quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me.* Et hic quidem non in ſecreto ſolus ſedebat, ſed quum præeſſet populis, ſingulari tamen gratia præeminebat. Ubi nonnihil inſinuat innocentiam juvenilis ætatis David, cujus antè oppoſitum ſubindicabat.

n Pſ.4.10.

B Verùm quidquid de hoc ſit, ſanctiſſimus Job *o* quæritur *conſumere* illum *peccatis* Deum velle, quòd ſi qua tunc admiſiſſet; ut placet Philippo, Olympiodoro, & aliis, in ætate jam confirmata, maturaque, nullius gravis haberet conſcientiam peccati, ita ut luere videretur veterum illorum pœnas, & quidem graviores, quum ejuſmodi delictis ex infirmitate & ignorantia, quæ minuunt voluntarium, ac rationem culpæ, venia faciliùs condonetur, mitioraque ſupplicia decernantur (cujus rei Tiraquellus *p* complura profert exempla & teſtimonia) præſertim poſt conſequentem honeſtæ vitæ veluti compenſationem. Deprecatur ſimilem in modum David nunc veniam; excipiens fortaſſis etiam, obiicienſque virtutis alia non pauca opera.

o c.13.26.
p Tract. de Pœnis temp. aut remitten. cauſa 7.10.11.

—— *Sed parcimus annis*, ait ille, *q*,
Donamuſque nefas.

Qui parcit, aut ſibi petit parci, peccatum agnoſcit, non frænos peccato laxat: quod facere ſanè Cicero *r* videtur, dum petulantiæ Cœli junioris patrocinatur. Is qui falsò Ciceronis gerit nomen, præcipit veriùs ad Herennium *: *Qui adoleſcentium peccatis ignoſci putent oportere, falli: ſapienter facere; qui adoleſcentes maximè caſtigent, ut quibus virtutibus omnem vitam tueri poſſint, eas in ætate maturiſſima velint comparare.* Hac modo de re non agimus de qua ſacri ſapientiales libri multa.

q l.9. Thr.
Cicero Cœlii Junioris petulantia patrocinatur Ciceronis nomen falſo gerens.
r Orat. pro Cælio.
* lib.4.

C Illud præterea non hic deficiendum, quæ ſit ad peccandum idonea ætas: & an ut primum quis attigit rationis uſum, niſi ſeipſum convertat ad Deum, peccare mortaliter cenſeri debeat: poſtremò quà primùm ætate confeſſionis ſacramentalis lex obliget. Jam priùs monui; refutatos ab Auguſtino, qui antea decimum quartum peccari negarent.

Mater Alexandrini ſententia & aliorum, peccata ætatis puerilis.
ſ Ad Theod. Balſanium interrog.48.
t 3. cont. vituperat. vita monaſt.
u in Orat.40
Quinquennis blaſphemus damnatus.

Recitat hoc loco Genebrardus de vinculo illius præcepti ſententiam Marci Alexandrini *ſ*, mares anno decimo quarto, anno duodecimo fœminas adſtringere; Cryſoſtomum *t* docentem, quum decem annorum eſſe cœperimus, inchoandum dimicare contra peccatum: ex ea enim ætate eorum omnium quæ peccavimus rationem nos reddituros, pœnaſque daturos: Nicetam, ſcholiaſten Nazianzeni *u*, rationem, ſeu boni, malique delectum, in pueris ad plenum perduci circa duodecimum annum. Non poteſt certum tempus decerni; (quum & de quinquenni blaſphemo damnato Gregorius *x*, & de coætaneo alio valde ſancto Auctor *y* libri Apum ſcribat, quem vocat Acham: & de admodum pueris, qui artes, ac ſcientias perfectè calluerint, prodant Plinius *z*, Suetonius *a*, Seneca *b*, exemplaque alia proferat Lipſius in Senecam) quocumque vero ratio viget, ligat lex confeſſionis, quamvis Eccleſiaſticæ cenſuræ non afficiant ante duodecimum, vel decimum quartum annum. Tractat paucis, ſed benè, quæſtionem Azor *c* noſter meritò Sotum *d* refellens, tradentem relinqui ab Eccleſia pueros ante dictum tempus in ſolo jure divino, non obligari præcepto ipſius, nam ea. *Omnis utriuſque ſexus*, quivis ad annos diſcretionis, perveniens, Confeſſionis præcepto ſatisfacere jubetur.

In puerili ætate perfectæ virtutis aliquot exempla.
x 4. Dial. c.18.
y l.2. c.28. & extat. in Spec. Exempl. Diſt. 5. exemplo 56.
Cum ratio urget, ligat lex confeſſionis.
z l.7. c 48.
a in Domit. c.48.
b de Brevit. vitæ c.7.
Sotus ab Azor refutatus.
c Tom.1. Inſtit. moral. 7. c. 40. q.6.

D De alia quæſtione ſentio cum pluribus, eum qui pervenit ad uſum rationis, licèt non tunc primùm, ac ſtatim convertatur ad Deum, non peccare, poſſeque, cum Originali peccato priùs veniale, quàm mortale perpetrari. Concedit Victoria *e*, contrariam opinionem, quam Thomiſtæ ſequantur cum Doctores *f* ſuo, adverſari ceteris ſcholaſticis omnibus. Demonſtrat hoc optimè noſter Gabriel Vaſquez *g*, & Valentia *h*, nec opus alia probatione, quàm adeò multorum illud negantium teſti-

Quæſtio Theologorum.
d 4. Diſt.18. q.1. art. 3.
e Relect. de Pervent. ad uſum rat. P. 3.
f 1.2. q. 86. artic. ult.
g Ibid. diſp. 149. cap. 2.
h Ibid. diſp. 6. q. 19. puncto 3.

teſtimonio, nec ſeſe de tali peccato accuſantium, & quia ne ullus quidem fortaſſis, vel perpauci ex aſſertoribus alterius opinionis meminit ſe hujuſmodi præcepto ſatisfeciſſe, aut etiam ad id animum advertiſſe, aut quòd non adverterit, & ſatisfacerit confeſſum eſſe. De pœnis Cauſa ſeptima Tiraquellus diligenter diſputat, quo eas pacto minor ætas imminuat, vel penitus excuſet. Petrus etiam Gregorius *a* de puerorum delictis pœniſque ait! Vult ille *b* ſtultitiæ, adoleſcientiæque ignoſci, quoniam ſolet illa ætas tales ludos ludere. Qua de re item M. Cicero *c*, quatenus adoleſcentiæ ſit indulgendum.

a lib. 30. Syntag. c. 5. n. 6. & 8. b Plaut. in Molleſtaria ſec. ult. c pro M. Cœlio.

Delicta.) *Peccata* vertere monuit Hieronym. Generale nomen eſt tuum Græcum ἁμαρτιῶν, tum Hæbræum המאוה *chattoth*. Non ergo à derelinquendo, ideſt omittendo, hîc *delicta* dicuntur, quaſi omiſſionis dumtaxat peccata ſignificentur, & quum quod bonum eſt, deſeritur. Cujus acceptionis meminerunt, Auguſtinus *d*, Gregorius *e*, Rupertus *f*, & alii.

d Quæſt. in Levit. q. 20. e Hom. 21. in Ezech. f in Levit. c. 32.

Juventutis meæ.) Νεότητός μου נעורי *nehhurai*. Vox Hebræa à נער *nahhar*, quod eſt, *excutere*, & conſurgere facere, ætatem ſignificat ejus, qui à parentum cura veluti foras excutitur. Filios excuſſorum *g*, Hieronymus *h* *filios juventutis* vocat. Nonnumquam pro ignorantia ponitur, ac ruditate quadam. Sic quem *rudem* Roboam Latinè legimus *i*, Græcè appellatur νεώτερος, Hebraicè נער *nahhar*.

g Pſ. 126. 4. h Ibid. i 2. Par. 13. 7.

Ignorantias meas.) Dixi etiam legere multos in genitivo caſu ſingulari, *ignorantiæ meæ*, nimirum delicta tum juventutis, tum ignorantiæ. Sed Hieronymus reddit, *ſcelerum meorum*, quod valet etiam פשעי *peſchahhai*, videlicet peccata, ex certa potiùs animi deſtinatione patrata. Hoc modo poteret ignoſci tam peccatis temerè, ignoranterque commiſſis, quàm ex majore quadam pervicacia, & malitia, & matura jam ætate; nec imminueret ex cauſatione culpas, ſed augeret magis amplificando miſericordiam divinam. Ita quidem Eugubinus, Arias, Bredembachius, Cajetanus, Campenſis, Vatablus, Agellius, Trevetus, qui prævaricationes, rebelliones, peccata poſt adoleſcentiam conſecuta interpretantur, quas Aquila nominat ἀθεσίας. Cum ignorantiis quæ ἄγνοιαι dicuntur à LXX. affinitatem habent majorem τὰ παραπτώματα *prolapſiones*, quas uſurpat Symmachus. Suſpicantur nonnulli, aut legiſſe משועותי *meſubhoti*, quæ propriè ſunt errores, & ignorantiæ: aut leviora etiam peccata dici מפעים *peſchahhim*. Hieronymus * in epoſitione Pſalmi octogeſimi noni ad Cyprianum, illud: *Poſuiſti* K *iniquitates noſtras in conſpectu tuo, ſæculum noſtrum in illuminatione vultus tui*, exponens: Poſuiſti iniquitates noſtras coram te, negligentias noſtras in luce vultus tui, monet ita quoque Symmachum expoſuiſſe, idque valere Hebræum רלמינו *bhalumenu*, & Quintam editionem interpretari *adoleſcentiam*, Aquilam παροράσεις *errores* ſive ignorantias: quod item confirmat ex loco præſenti, ubi *delictis juventutis* junguntur *ignorantiæ* (ſequitur enim dicta Epiſtola verſionem noſtram hujus loci) & ex alio *l*, in quo *peccatis*, *occultis*, *aliena*, quia aliena inquit, nobis ſunt vitia, quæ ſæpe voluntate, interdum ignorantia, & errore committimus.

** Epiſt. 139. K verſ. 8. l Pſ. 118. 13. 14.*

Hinc intelligimus poſſe peccata, ſeu delicta juventutis, & ignorantiæ, συνωνύμως accipi, quemadmodum, ut ante diximus, ætatem illam ſumi pro ignorantia. Quòd ſi vis in Hebræi nominis acceptione, ut nunc paſſim eſt, fiat, pro ſcelere, rebellione, &c. ignorantiam eſſe dicimus cum Ricardo Cenomano affectatam, atque malitioſam, quæ excæcat *m*, quum quis non vult intelligere, ut bene agat *n*, qualis creditur Judæorum, pro quibus Chriſtus orabat in cruce *o*, quia neſcierint quid facerent: qualis Pauli *p*, qui exaggerando miſericordię divinæ divitias erga primum, & maximum peccatorem, ſcibit ſe miſericordiam conſecutum, quia ignorans feciſſet in credulitate, ut alibi memini me perpendiſſe *q*. Habacuc cantici titulum, quem *pro ignorantiis* legimus, Theodotio vertit Ὑπὲρ τῶν ἑκουσιασμῶν, *Pro voluntariis & ſpontaneis peccatis*. Vocatur item *ſtultitia* peccatum *r*, & *inſipienter agere*, peccare *ſ*.

m Sap. 2. 21. n Pſ. 35. 4. o Luc. 23. p 1 Tim. 1. 13. & ſeq. q Act. 9. r 2. 2. Reg. 13. 12. 13. ſ 1. Par. 21. 8

At interpretum, Patumque communis opinio, ſermonem hîc eſſe de peccatis ignorantiæ, hacque ex parte nonnihil excuſatione dignos. Ita præterea *t* Auguſtinus diſputans contra Pelagianos, & Hieron. dicta ad Cyprianum Epiſtola: & quo pacto minuat ignorantia voluntarium Theologi cum B. Thoma *u*. Qui Pſalmum iſtum compoſitum affirmant in perſecutione Saul, notant de peccatis hîc malitiæ mentionem non fieri, quia nondum iſta David fecerat, ſed poſteà quum rex eſſet. Sic Paulus Palanterius. At generalius Pſalmi argumentum eſſe docui. Eccleſia porrò in Orationibus, quibus morientium animas commendat, petit ne meminerit Deus iniquitatum antiquarum, & ebrietatum, quas ſuſcitavit furor, ſive fervor mali deſiderii, & ut delicta juventutis, & ignorantias non meminerit. Qui ſcit, cogitatque omnes vias ſuas eſſe in conſpectu Dei, profectò ſervat mandata, & teſtimonia illius *x*.

t 1. de Peccato mor. c. 36. u 1. 2. q. 76. t. 3. & 4. x Pſ. 128. 16

Secundum miſericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam Domine.) Non equidem declino memoriam, recordationemque tuam; opto etiam & poſco: at non à peccatis excitatam meis; ſed à tua excitatam miſericordia propter eximiam illam felicitatem, & benignitatem tuam, non ob vitia, & ſcelera mea. Hoc decori, æqui, dignitatis exigit ratio, præter eadem in re præjudicia, & exempla perplura, de quibus dixi, atque certam, puplicamque de illa notitiam, ac teſtificationem. Sed & iſtud tuum ingenium, moreſque, ac inſita tibi, & maximè propria natura; hoc tractas ſemper, velutique cogitas libentiùs, & inde maximè celebrari geſtis. Magnum Deum, magnæque miſericordiæ, ac bonitatis, non decet miſereri parùm, parcèque benefacere, Miſeros miſericordia ſublevas, bonitate cunctis benefacis. *Nemo* y *bonus* (ex ſe) *niſi ſolus Dei: Deo proprium miſereri ſemper, & parcere. Miſericordia*, iniquit Deus *z*, *veſtra quaſi nubes matutina, & quaſi ros mane pertranſiens.* Qui locus etſi ad litteram aliter, & myſticè de Chriſto incarnando exponatur, vel de brevi illo plauſu quo Chriſtum Judei *a* exceperunt, poſtulantes paullò poſt ad mortem: vel de impedimento, quod miſericordię divinæ opponebant, ut modicus fructus ad eos perveniret: accommodari tamen poteſt adhoc, ut comparemus anguſtias miſericordiæ noſtræ cum infinitate divinæ.

y Luc. 18. 19. z Oſea 6. 4. a Joa. 12. 13. & ſeq.

Videtur nonnullis litteralis quoque ſenſus, ut Ariæ *b*, ſi qua ſanctitas, aut pietas eſſet in populo, eam repentè relaxatam ut nubeculam matutinam, quæ ſolis calore diſcuſſa evaneſcit, & ut rorem, cujus vim aura & calor conſumit piùs, quam herbæ, atque ſata experientur. Favet etiam Ribera *c* noſter: *Magnam* nominare ſolet David Dei miſericordia, *multitudinem miſerationum* d, *copioſam redemptionem* e. Orans item Daniel *f* dicebat: *Neque enim in juſtificationibus noſtris poſternimus preces ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis.* Iſaias g vocat Deum *multum ad ignoſcendum*.

b Ibidem. c Ibidem. d Pſ. 5. 8. Pſ. 50. 3. Pſ. 68. 14. Pſ. 85. 5. 15. Pſ. 105. 45 Pſ. 118. 156. e Pſ. 129. 7. f cap. 9. 18. g cap. 25. 70.

Secundùm miſericordiam tuam.) In Pſalterio Romano, *ſecundùm magnam miſericordiam tuam*.

Memento mei tu.) Hebr. eſt Dativus caſus. Et quamvis hoc loco memoriam poſtulet, quæ faveat, ac fortaſſis etiam, quæ promiſſa reddat, fidemque perſolvat: non id oritur ex hac Syntaxi, quemadmodum vult Agell. *Nam* זבר *iſachar* conſtituitur cum illo caſu, cumque Accuſativo ſive de re bona ſit, ſive de mala, ſive ad favendum ſive ad nocendum. Idcircò ad definiendum rei bonæ memoriam, ac, ut ita dicam, favorabilem, legimus; Nehemiam petiviſſe à Deo *h*: *Memento mei Deus meus in bonum.* Hebraicè in Dandi caſu לי אלחי לטוכה זכרת *zochrach li elohai letouah*: & in Accuſativo ait David *i*, *noſtri*, Hebraicè, *mei*, *Domine in beneplacito populi tui* זכרני יהוה כרצון עמך *zochreni Jehovah uirtſon hhammecha*, Habent porro Pſalterium Romanum, & Auguſtinus, pro, *memento mei tui*, *memor eſto mei Deus*.

h 2. Eſd. 5. 19. i Pſ. 105. 4.

Verſ. 8. Dulcis & rectus Dominus: propter hoc legem dabit delinquentibus in via.

AD ſeipſum, ac alios quoque reflectit ſermonem, confirmans in impetrandi ſpe, quia Deus bonus ſit, & juſtus, ideòque corrigat libenter delinquentes: quomodo erga hominem exercet miſericordiam, juſtitiam erga peccatum, illam amando, hoc odiendo, perſuadendo ipſi conſtituto in iſtius vitæ via, qui & priùs petiverat *k* *vias Domini* demonſtrari ſibi, & *ſemitas* ejus edoceri: & *dirigi in veritate*, & doceri, ut ex iniquo maloque juſtus efficiatur ac bonus. Poſtremò bonitatem declarat in ea etiam cum juſtitia, quòd nolit ignorantes condemnare, ſed rationem præſcribere ſalutem conſequendi: quòd non dedignetur, aut reſpuat peccatores.

k verſ. 4.

Lex cur à Deo ſit lata

Legem igitur tulit Deus non damnationis cauſſa, ſed correctionis, & eruditionis, atq; oſtenſionis viæ, qua recta tendatur ad eum. Summa legis charitas, qua nihil dulciùs, nihil rectiùs, annexam habet in his qui obſervant illam, voluptatis internæ dulcedinem, & præmiorum æternorum promiſſionem, ſalva juſtitiæ rectitudine, quæ peccatis decernit ſupplicia item ſempiterna. Delinquentibus lex fertur, ne ampliùs delinquant, vel, ne unquam, hominibus cunctis, etiam qui non deliquerunt. Juſto *a* non ponitur, ut coerceatur, quia ſponte incedit per virtutis viam. Dulcis, ſuavis, manſuetus, benignus, miſericors, miſerator, longanimis, patiens Dominus eſt; ſed ſimul rectus, juſtus verax. Inde ſperandum. hinc timendum. Dixit Chriſtus *b* adulteræ, non, *Nec ego te condemnabo*: vade, & vive ut vis, ſed, *vade, & jam amplius noli peccare*, ut obſervat Auguſtinus *c*.

a 1. Tim. 1. 9 b Joan 8. 11. c Tra. 33 in Joan.

Meritò non ſervanti legem dulcem, quæ jubet amorem Dei *d*, Proximique, ut omnes tibi bene velint, & quoad valent, bene faciant, tuque illis viciſſim: rectitudo, ac vigor jungitur juſtitiæ, ac nominatim in judicio univerſali de miſericordiæ operibus pronuntiabitur *e* ſententia, *Mel, & lac ſub lingua f* Dei noſtri. Sed videlicunt dulcia, tantoque ita efferveſcit Dei magis, quanto benignior fuerit. *Miſericordia & veritas*, duæ ſunt viæ Domini, quæ paullo poſt nominantur *g*; pedes duo inſtar columnarum ignis *h*, & cura ſicut columnarum marmorearum fundatarum ſuper baſes *i* aureas, has virtutes canendo *k*, & has, oſculando pedes *l* ſe jungere non oportet. Sicut verò fortior pes dexter ad motum prior, accommodatior naturæ; ſic elucet in miſericordia potentia Dei magis, ut in libro Sapientiæ *m* demonſtravi. Inchoat Deus à miſericordia priùs, quam à juſtitia, ut idcircò nominari ſoleat priori loco, quàm illa, tum hic, tum alibi *n* (aliquando tamen ſecus *o*) tandem punire cenſetur velut extraneum, peregrinum, alienum, repugnans opus Deo *p*. *Super exaltat miſericordia judicium q: Miſerationes Dei ſuper omnia opera ejus r*: dicitur Deus, *multum miſericors ſ*, *pater miſericordiarum t*. Optabant ſummis votis Prophetæ adventum juſti Meſſiæ: ſed petebant ut illum rorarent cœli, & nubes pluerent *u*. Nihil rore blandiùs, feraciùs, ſereno cadit anni cœlo non perturbato, tantaque vis ejus eſt, ut candentiſſimum ferrum, ſi ſubit, frangat. Lege Gregor. *x*, & quæ Pſalmo diximus vigeſimo ſecundo de virga, & baculo *y*.

d Deut. 6. 5. Mat. 22. 37. & ſeq. e Mat. 25. 35 & ſeq. f Cant. 4. 11 g verſ. 10. h Apoc. 10. 1 i Cant. 5. 15 k Pſ. 100. 1. l Luc. 7. 38. m cap. 1. 24. n Pſ. 25. 1. Pſ. 39. 11. Pſ. 60. 8. Pſ. 8. 12 Pſ. 100. 1. Pſ. 113. 2. Jac. 2. 13. o Mich. 7. 10 Pſ. 88. 14. 15 p Iſ. 28. 21. q Jac. 2. 13 r Pſ. 144. 9. ſ Pſ. 102. 8. t 2. Cor. 1. 3. u Iſa. 45. 8. x 2. Par. Paſt. cap. 6. y verſ. 4.

Dulcis.) Hieronymus, *Bonus*, טוב τοῦ χρηστός, *utilis*, benignus.

Rectus. Ita quoque Hieronymus. Nec verò εὐθύς & ישר *jaſchar* hic ſignificant, quod ait Agellius, placidum, facilem, mitem. Etſi enim verbum ישר *jaſchar* talem quandoque uſum habeat, non ita nomen: ac multò minus Grecum vocabulum. Ceteri autem omnes pro *rectitudine juſtitiæ* interpretantur: (Appollinarius εὐθύδικον appellat Θεὸν *recta judicantem Deum*,) à quibus nefas recedere, præſertim quum iſta acceptio longè aptiùs cohæreat propoſito, & his quæ ſequuntur.

Propter hoc.) Hieron. *Propterea*, nomen enim, *hoc*, & διὰ τοῦτο, deſignat certum quid, ita ut ſuſpicio ſit intelligere propter rectitudinem juſtitiam, ut, quæ proximè anteceſſit: etſi poſſet intelligi, propter hoc utrumque, ſcilicet etiam propter dulcedinem, ac benignitatem. Nihil aliud ſignificat *lemahhan*, quàm *propterea*, idcircò, &c.

Legem dabit delinquentibus in via.) Hieron. *Docebit peccatores in via*. Sic ad verbum ex Hebræo in Pſalterio Ambroſiano, & apud Auguſtin. *ſtatuet*, in futuro. In Romano. *ſtatuit*, Hebraicè eſt יורה חטאים בדרך *joreh chattim baddo ech*. Editio LXX. ſic habet: Νομοθετήσει ἁμαρτάνοντας ἐν ὁδῷ. *Legem dabit delinquentibus in via*. Aquila, φωτίσει ἁμαρτωλούς, *Illuminabit peccatores*. Symmachus. Ὑποδείξει ἁμαρτάνουσιν ὁδόν, *Demonſtrabit peccatoribus viam*. Tum de lege externa, tum de interna intelligitur. De hac Appollinarius:

Τὼν χ' ἁμαρτωλοῖς ὁσίην ὁδὸν ἔφρασε θυμῷ.
Propter hoc delinquentibus ſanctam viam locutus eſt in mente.

Poſſet quoque Hebræum verbum ſignificare *caſtigare*, & lex accipi pro ea, quæ eſt timoris, ac puniens: quibus rebus ut plurimùm revocantur in viam qui errant, & hinc ferè inchoatur juſtificationis ordo, poſita fide.

In via.) Referri poſſunt hæ dictiones aut ad delinquentes, qui nempe delinquant in hac vita, per quam tranſimus ut per viam, omiſſis myſticis expoſitionibus, de via fidei, per quam ambulamus, & peregrinamur, de via juſtitiæ, & cujuslibet virtutis: aut ad Deum, qui legem det in via, ideſt, legem ipſam pro via & juxta Hebræum textum, doceat in via, hoc eſt, viam, Phraſi namque Hebræa *docere in via*, *dirigere in judicio* & *in veritate*, idem poteſt eſſe, quod, viam, judicium, veritatem docere.

Poſteriorem ſenſum citato verſu ſequitur Appollinarius. Vatablus quoque vertit in Accuſativo, *viam*, & Symmachus ὁδόν. Tertius adhuc ſenſus poſſet eſſe, Deum docere illos, qui delinquunt juxta viam ſuam ipſius, nimirum ſicut ipſe conſuevit: nam דרך *dorech*, & *via* pro conſuetudine ſumitur. Melior & communior prior expoſitio, & juvat etymologia nominis חטאים *chattaim* à verbo חטא *chata*, quod propriè ſignificat *aberrare*, à via vel ſcopo deflectere, ubi erat rectè ambulandum, & conſtruitur cum præpoſitione (ב) *be*, (*in*) vel (מן) *min*, (*ab*).

Verſ. 9.) Diriget manſuetos in judicio, docebit mites vias ſuas.

QUod delinquentibus dixit legem dandam, ne quis universè acciperet (quod tamen etiam de lege timoris exponi poſſe docuimus) nunc ait, manſuetos ac mites, qui non reſiſtunt docenti Domino, ſed cupiunt potiùs doceri, ab illo dirigi in judicio, & doceri vias, hoc eſt, legem Dei, quæ his & ſimilibus aliis nominibus appellatur. Quamvis Auguſtinus, & alii de judicio univerſali videantur interpretari, vel de judicio correctionis, per quod rectè diſponentur ad illud, ne cum hoc mundo damnentur *z*: vel de judicio prudentiæ divinæ, quia *in manſuetudine* inſeritur verbum *a*, & cuivis præcipitur ut ſit manſuetos *ad audiendum verbum b*, & virtutis hujus ſe Chriſtus magiſtrum fecit *c*: & inter primas beatitudines collocavit illam cum paupertate ſpiritus *d*, quibus ad reliquas, & ad ceteram omnem doctrinam magis auditores diſponeret. Divitiæ impedimento poſſunt eſſe prædicationi, quæ docet, cum earum jactura ſi res ferat obediendum Deo: deinde in audiendis minis, reprehenſionibus, rebus aſperis, quæ bilem concitant, manſuetudo neceſſaria; tandem in credendo res difficiles, & captum ſuperantes, requiritur humilitas.

z 1. Cor. 11. 32 a Jac. 1. 21. b Eccl. 5. 13. c Mat. 11. 29 d Mat. 5. 3. 4

Auguſt. quum in libro de vera *e* religione ſcripſiſſet: *Intende igitur in hæc quæ ſequuntur, diligenter, piè, quantum potes: tales enim adjuvat Deus*: poſtea ſic retractavit *f*: Non ita intelligendum eſſe, quaſi tantummodò tales Deus adjuvet, quum adjuvet etiam non tales, ut ſint tales, ideſt, ut diligenter, & piè quærant. eundem modum adjuvat quoque Deus feroces, & ſuperbos, ut manſueſcant ac miteſcant, manſuetos verò ut proficiant. Quicumque dirigantur & doceantur, & judicium, vias, legem Domini accipiant, nihil id iis proderit, niſi in manſuetudine & humilitate accipiant, obſequendo, non reſiſtendo.

e Cap. 10. f 1. Retr. c. 3.

Nomine *manſuetudinis*, quæ magna quædam virtus eſt, ac *mitias* quoque *humilitaſque* vocatur, ceteræ interdum virtutes omnes intelliguntur; ſicut è contrario per *ſuperbiam* peccata reliqua quemadmodum notavimus ad epiſtolam Petri primam *g*. In Pſalmo CXLVI. *h*, *manſueti peccatores* opponuntur: *ſuſcipiens manſuetos Dominus, humilians autem peccatores uſque ad terram*. *Quærite Dominum*, ait Sophonias *i*, *omnes manſueti terræ*.

Nomine manſuetudinis interdū ceteræ virtutes intellectæ, nomine ſuperbia reliqua peccata. g cap. 5. h verſ. 6. i cap. 2. 3

Manſuetos.) Perpendunt aliqui vim Latini vocabuli, ut manſuetus ſit, quaſi manu ſuetus, & ad manum venire ſuetus, vel manu conſuetus, dexter in operando, prom-

Manſuetus unde dictum.